

IN NOME SACRO-SANCTÆ TRINITATIS.  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
*D E*  
**STATU EXINA:  
NITIONIS CHRI-  
STI JESU.**

QUAM  
DIVINA GRATIA CLEMENTER  
ANNUENTE,

Cum Consensu & adprobatione Rev. & Ampliss. Fac.  
Theolog. in Regia universitate Aboensi

PRÆSIDE  
**NICOLAO TUNANDRO,**  
S. Theol. Prof. Ordin.

Publicè defendendam suscipiet  
**JOHANNES C. PROCHMANNUS**  
O-Bothn.

*In Auditorio Majore die 9. Junii  
ANNO SALUTIS M. DC. LXXVI.*

*Christiernus Kontro*

A B O Æ

---

Excusa à PETRO HANSONIO Acad. Typogr.

Maximè Reverendo & Amplissimo VIRO  
DN. PETRO Bång/ S. S. Theol. Doct. & Pro-  
fessori Celeberrimo, Mecœnati magno.

Plurimum Reverendo & Praclarissimo VIRO  
M. MARTINO MILTOPÆO, Eloq. Profes-  
sori Excellentissimo, Promotori indubitato.

Plurimum Reverendis, Reverendo, Pietate, Doctrina  
& gravitate conspicuis VIRIS

DN. JACOBO BRENNERO, Præposito & Pa-  
stori in Cronobij dignissimo, parentis loco honorando.

DN. JOSEPHQ MATHESIO, Præposito &  
Pastori in Calatoli gravissimo, Fautor i summo.

M. JOHANNI CARLANDRO, Pastori in  
Phajoli meritissimo, quondam Præceptor i suspicioendo.

DN. CAROLO PROCHMANNO, Pastori in  
Lapå Patri charissimo.

**P**RIMOS bosce meos conatus, nomini alicujus insigniter de  
me meriti inscripturus, distrahebar à certam concurrentibus, tum  
Veneratione Parentis, tum Reverentia Præceptorum, tum aliorum e-  
tiam benè mibi Cupientium piâ, ut decet, recordatione. In hac senten-  
tiarum divertio constitutes, tanto me difficultas expedivi, quanto plu-  
res extitere qui me obligatum tenebant. Stetit tandem sententia: Il-  
lum, ut studiorum meorum auctorem; Hos, ut eorundem Promo-  
tores. Utrosq; ut exemplaria virtutis, ut documenta prisca seu recti-  
tudinis seu simplicitatis mibi esse devenerandos. Non quidem quasi  
defunctum me, & officio meo, & Vestris meritis hac ratione putarem.  
Patres; quin potius optarem, isthac tale esse, quod me saltem eorum mea-  
nsorem declararet, Valete.

Humiliter dat, Reverenter  
dedicat  
RESPONDENS.

# I. N. J. C.

## §. I.



Octrinam de Salvatore no  
stro Christo Jesu, & multa sunt  
& eximia quæ commendant. Cer-  
tè Bernhardo, Viro egregiè docto  
maximeq; pio, tanti ea visa sunt  
omnia, ut non dubitaverit alicu-  
bi scribere: *Aridus est omnis ani-  
mæ cibus, si oleo isto non asperga-  
tur; Insipidus est, si hot sale non  
condiatur: si enim scribas aliquid, non mihi placebis, nisi le-  
gero ibi JESUM.* Si Disputes aut conferas, non sapiet, nisi  
*sonuerit ibi Jesus.* Cum autem plurima sint illius, tanta  
dignitatis doctrinæ momenta, ecq; singula & sublimia & sci-  
tu pér quam necessaria; tamen nihil à vero aberrasse nobis  
videbitur, qui considerationem statuum Chriſti, diligentem  
& devotam, Consolationem habere & usum singularem di-  
xerit. Placet ergò, in timore Domini, de statu Exinanito-  
nis Chriſti quædam breviter meditari,

Bernardus

## §. 2.

Dari autem in Persona Salvatoris Chriſti Jesu, diversos sta-  
tus, & debere quoq; eum in iis non uno modo considerari,  
manifesta docent Scripturæ loca. Phil. 2. 5. 6. &c. *Is sit  
adfectus in nobis qui fuit & in Chriſto Jesu; qui quum effet  
in forma Dei, non duxit esse impiam, parem esse Deo; Sed i-  
pse se exinanivit formam servi accipiens, similis hominibus  
factus; Et habitu inventus ut homo, submisit seipsum, factus  
obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter  
etiam Deus exaltavit eum, & dedit ei nomen quod est su-  
pra omne nomen. &c.* Adde Heb. 2: 7. 8. 9. *Fecisti eum pau-*

A

litter

*liber inferiorem angelis, gloriā & honore coronaſti eum, &  
conſtituiſti eum ſuper omnia opera manuum tuarum.* Hinc  
etiam factum, ut in libris Theologorum Didacticis, expositis  
officiis Christi, ordine commodo doceatur quænam ejus ſint  
beneficia, dupli vita ſtatu präſtit, & quemadmodum non  
pari ſemper ratione, officiorum partes Christus administra-  
verit, ſed humiliter interdum, interdum verò glorioſe &  
in Majestate.

§. 3.

Hæc tamen diversitas ſtatus, non obſtabat quo minus cog-  
noſci Christus pro Filio Dei optimè potuerit, vide Joh. 9.  
30. 35. 37. nempe ex argumentis adeo manifestis, ut iſum  
qui videret, reverà gloriam, tanquam unigeniti à Patre, vi-  
deret, Joh. 1. 14. Cum enim promiſſionem haberet Iſraël,  
angelum testamenti venturum, & gloriam ſuam manifestatum,  
adeoq; ſalvatorem eis futurum, id quod fine ſacrificio  
fieri non poſſe, non illis ignotum erat. Et rurſus, filium  
hominis, ac ſemen Abrahāni & Davidis, ſuo tempore ad fu-  
turum, quoq; illis indicatum. Reſtabat ergo aliud nihil,  
quam ut recognoſcerent, an & ſermo Christi, & opera promi-  
ſionibus ſibi datis, responderent Joh. 10. 29. 38. & cap. 15.  
24. Quia itaq; eum ſe Christus präſtit qui potestatem ha-  
beret in omnes morbos, imò in omnem potentiam Satanae,  
& vitam quoq; qui dare poſſet cui vellet. Joh. 5. 21. nemo  
ſcandalizari debuit ſtatu ejus humili, ut ipſe monuit Math.  
11. 6.

§. 4.

Status autem vocabulum à ſtando ſumptum, aliquando  
genemliuſ accipitur, ut conditionem noſet in qua quis ſtat  
aut conſtitit, ſive bene ſeſe in eo gerat ſive minus: Ita in ho-  
minibus primis, tam Integritatis quam lapsus ſtatum depre-  
hendimus. Alias autem ſpecialius, vocabulum illud caſui  
& lapsui opponitur. ut Joh. 8. de Diabolo dicitur, quod in  
veritate non ſtetit; Ideo Paulus etiam primum lapsum ſeu  
peccas-

peccatum, ~~τὸν~~ <sup>τὸν</sup> ἄνθρωπον vocat Rom. 5. 15. Eò etiam pertinet quod in Apocal. 2. 5. Johannes scribit, memento unde cecideras πότερον εἰς οὐκέτι ζωήν. Et in speciali hac significatione de Christo accipitur.

§. 5.

Sed status hi diversi quos Christo tribuimus, non illi sunt essentialis, quasi alia atq; alia conditum in ipsa ejus essentia reperiatur; Sed accidentales tantum sunt & Personales. Eosq; ita dicimus variare, ut solus humilationis status, mutationis fuerit capax, altero immutabili perpetuo manente.

§. 6.

Diximus status hos, quos jam consideramus, modum administrationis officiorum ejus evolentes, non esse essentiales: Et tamen non negamus aliquem dari statum Christi naturalem, secundum quem probè etiam cognoscendus est. Hoc enim probat facile distinctio, in materia de Christo per quam necessaria, inter actum naturalem de quo Heb. 2. 17. & Personalem Gal. 4. 4. 5. Colos. 2. 9. Quæ hoc innuit, aliam esse conditionem Θεανθρώπων, quando ejus humana natura cum suis actionibus, in esse suo naturali, ut reliquis hominibus est communis, & ut in se est, concipitur; nempe vera humana essentia ex corpore & animâ constans; etiam in ipsa personali unionē, à divinâ naturâ & ipso Dei filio, verè distincteque concipienda, licet non realiter separanda. Et deinde, aliam rursus esse conditionem Christi, quando eadem humana ejus natura, consideratur respectu unionis Personalis, & quas tunc habet operationes: Nempe quod tum talis est homo, quinon ut homines alii, suam seorsim habeat subsistentiam, aut in propriâ, finitâ & humanâ, sed in divina & infinita filii Dei personalitate subsistat. Propter quam etiam Communionem, & quæ ex ea seqyuntur, talis ejus est status & talis conditio, ut de eo, non humana solum, sed divina eti-

am vere dici, vereq; ab eo præstari possint. Atq; hoc in fla-  
tu, Christus, etiam ut verus homo, nulli creaturæ in cœlo aut  
terra, est comparandus; quod ipsum, si, ut par est, piè consi-  
derarent nostri adversarii, vix orthodoxam de Christo senten-  
tiam, ita acriter & pertinaciter oppugnarent. Confer, Men-  
tzerus contra Sad: & Mart.

§. 7.

Ex hac tenus dictis patet, nos habere in universum Status  
Christi hos: Primò, Statum naturæ, ex conditione Essentiæ  
fluentem; Eumq; & divinum & humanum. Deinde, statum  
personalem, ex conditione divinæ & infinitæ personalita-  
tis, eamq; perpetuo consequentibus, provenientem.

§. 8.

Sed posterior ille status, quem Personalem appellavimus,  
& ille vel 1. Unus est & immutabilis; quatenus nempe rati-  
one communicationis & possessionis divinæ personalitatis,  
Christi Persona consideratur; Secundum quem respectum,  
à primo statim conceptionis momento, cuncta divinæ naturæ  
idiomata habuit & possedit. Vel. 2. geminus est; ita ut al-  
ter sit humilius & abjectus, in quo esse voluit Christus à prima  
incarnatione, usq; ad mortem & in morte; quem Exinanitionis  
status communiter appellamus. Alter vero sublimis,  
gloriosus & majesticus, à vivificatione ejus in sepulchro,  
initium sumens, & in æternum perdurans; cumq; statum  
Exaltationis dicere conservimus.

§. 9.

Hac ergo statuum Christi determinatione, ut erroneam  
Enjedini & ineptam rejicimus Enjedini & universæ seclæ illius opinio-  
nem, tres personales Christi status, dignitatis nempe, humili-  
tatis & Exaltationis statuentis. Voluit enim ille, & seclæ o-  
mnes, Formam Dei, in quâ Christus fuit, tam ab exinanitione,  
qua exaltatione, separatum & realiter distinctum facere sta-  
tum.

tum.. Ita enim ipsius verba habent: *Primus status Christi fuit hic, quod esset in forma Dei constitutus post nativitatem.* Eam autem formam Dei quid esse vellet, ita exponit alibi: *Forma Dei significat Regiam dignitatem, titulum regium ipsam Majestatem.* Nam ab ipsa nativitate designant eum Deus Regem Israëlis. Hunc etiam statum ut aperius declareret, ostendit quando Christus eum exercuerit, nempe quoties facta miranda ederet, & potentiam suam manifestaret. In quam etiam sententiam ita alicubi scribit Socinus: *Socinus Christus antequam semet exinaniret & demitteret, solo verbo, mari, ventis, morbis, morti, Damonibus etiam ipsis imperans, cuncta sibi obedientia habebat.* Et hunc statum recte Paulus vocat esse in forma Dei. Atque durante hoc statu, contendunt illi omnes, Christum nec exinanitum nec exaltatum fuisse, sed in tertio quodam statu, dignitatis scilicet, constitutum, idque ante exinanitionem & exaltationem. Nempe servilem formam non nisi tum primum assumisse eum tradunt, quando capi semet, ligari & crucifigi passus est, atque mortis & sepulturæ tempore; Eaque Exinanitionem absolvere scribunt. Clare enim id expressit Smalcius his verbis: *Ex-Smalcius. inanivit se, non tunc eam contipens fuit & natus, sed cum semet capiendum, cedendum, & consuendum ac crucifigendum tradidit.*

#### §. 10.

Hostres Christi status, expressis quidem verbis, illi obtrudunt; Verum qui scripta eorum attente pervolvit, ubi de statibus Christi agunt, per facilem & apertam consequentiam, introduci quoqué quartum ab illis statum, inveniet. Nimirum, quia statuunt Christum, post finem mundi & seculi consummationem, abdicaturum esse semet regno; evidens utique est, eos velle Exaltationis statum non ulterius debere extendi, quam ad illum mundi finem, & deinde successurum esse statum Christi quartum, degradationis nempe, qui in omnem duratus sit æternitatem; quam eorum sententiam, inter

absurda absurdissima, meritò referres; nempè Exaltationem Christi & statum ejus gloriosum, excepturum deinde esse statum alium inferiorem & deteriorem. Sed & tertium & quartum statum, suo more, hoc est, contra scripturam & ex petulante sensus diuinæ contortione, illos fingere ostendemus.

S. ii.

Nam quod tertium illum statum adtinet, facile docet scriptura eum falso inferri, cum in sede propriâ, ubi de statibus Christi agat, puta Phil. 2. non nisi κενωσεως v. 7. & ὑπερψύχσεως vers. 9. diserte injiciat mentionem, quod haud dubiè non ita determinatè Posuisset, si alias adhuc status fuisset. Et quæso quid pro Exinanitionis statusinitio, ad eoque servilis formæ assumptione, adferri pateres clarius, quam quod legimus, eum in utero pauperrimæ & vilissimæ conditionis viro despontaræ virginis, esse conceptum, atque in statu lo, inter asinos & pecudes esse natum Luc. 2. Ut & de status ejusdem exitu, quod ad mortem usq; crucis continuari. Phil. 2. Ubi ergo locum haberet status aliis, humilem hunc antecedens, ut illi somniant? Quod si jam hic status ab initio conceptionis Christi, usq; ad mortem ejus permanserit, ut jam scripturæ verbis ostendimus; haud dubiè eo etiam statu durante, in forma Dei fuit, ut frustra profectò sit urgere, illam formam, separatum aliquem & distinctum constituisse statum. Et nihil minus, quamvis statui illi tantum adsignemus temporis spatium, non tamen ideo negandum volumus, Christum in illo statu, Regem fuisse aut dici posse: Certe ipso nativitatis die, voce angelicâ *Dominus in civitate David est* proclamatus Luc. 2. quod ipsum utiq; Regem eum esse apertere evincit. Imò in ipsa passione sua, non dubitavit salvator ipse semet Regem aliquem affirmare Joh. 18. 36. *spiritualem* scilicet. Licet ergo dignitatem, & quidem summam Christo homini concedamus, idque toto vita sua tempore, propter communicationem & possessionem regiæ, imò diuinæ formæ,

mæ, quandoquidem à prima conceptione, usque ad mortem, nullo cessaverit momento, divinitatis plenitudine quoad κανόνιον inhabitari. Tamen quia sponte usurpatione illius dignitatis, illiusq; formæ abstinuit, debemus scripturâ præente, humiliationem ejus & quandam afflictionem ac miseriam, ad toèum vitæ spatiū ejus extendere; ita quidem ut unicum constituamus statum Exinanitionis, puta ab incarnatione prima usque ad vivificationem in sepulchro. Nam admittat licet Exinanitio illa quosdam gradus, ut profundissima sit alia, durante nempe passione magnâ & morte; alia vero minus profunda, non tamen illa adeò fuit exigua, ut formam servi dicendus sit deposuisse, aut statum unum ex his posse constitui sit negandum. Quin tum etiam, cum interdum solo verbo & mari & ventis & ipsis quoque Diabolis imperaverit: tamen etiam sic in eodem sit collocandus statu, idèò, quia incessanter, & plenariè, in diebus carnis, isto imperio non est unquam usus. Liquebat ergò, ni fallor, & quodnam, & quantum temporis spatiū, Christo homini concedamus, quo in forma Dei fuerit, nempe quoad possessionem (quæ intelligenda venit, cum existere aliquem in forma Deidicimus) totam vitam ejus in his terris. Hæc de tertio illorum statu siclo, erant dicenda. Quartum verò quod attinet, de eo infra agemus commodius. Jam ergo, quia duos tantum esse personales Christi status probavimus, qualis ille sit quem hoc loco evolendum sumsimus, nunc pergeamus ostendere.

§. 12.

Nos de statu Exinanitionis, ut supra diximus, acturi, statim monemus, non accipi à nobis hoc loco, vocabulum exinanitionis in sensu ecclesiastico, quatenus ad φιλανθρωπίαν filij Dei, in incarnatione conspicuam, refertur; ut cum dicero solemus, filium Dei adeò semet humiliasse & demississe, ut naturam humanam adsumeret: Hæc enim Catachrestica est exinanitio & non propria. Neque enim minor factus est filius

Dei

Dei reliquis Personis S. Sanctæ Trinitatis, ideo quia humana-  
nam naturam adsumserit; Sed accipimus exinanitionem in  
sensu biblico, pro ut notat statum servilem & abjectum.

§. 13.

*In statu exinanito.* Est itaq; hæc Exinanitio Christi temporaria, sed libera ab-  
<sup>intelligi</sup> vultu, dicitur, Secundum humanam naturam sibi communicatae, usus;  
libet, bibit, abiit, adiit, ut in servili forma pari posset ac mori, adeoq; pro Dei formi-  
tatur, qui fecit, patratus raptu, à protoplastis commisso, Deo satisfacerè nobisq;  
ar. mutatur.  
*Mixtus ex. A. C. Salutem amissam reparare.*  
*Act. 3. §. V. 11. pag. 61.*

§. 14.

Cur autem Christus exinaniri debuit, non omisit scriptura clarè ostendere: Nempe quia testamento, quo Pater filio suo regnum disposuit. Luc. 22. 29. Sacerdos est ordinatus Heb. 3. 1. & c. 5. 10. eique modo negotium est datum, ut ul-  
tro & ex potestate animam suam poneret ἀνθλοποιον Joh. 10.  
18. imo quia constitutus est sponsor Testamenti & Mediator Heb. 7. 22. c. 8. 6. hoc est, voluntatem habens se sistendi servum Dei, ad exequendum hoc divinum testamentum. Quæ voluntas eximie explicatur Heb. 10. 9. &c. ubi ostenditur  
Ἐθέλητα τῷ Θεῷ καὶ τὴν προσφορὰν τῷ ἐγγύτῳ, voluntatem Dei & oblationem Sponsoris, esse causam nostræ sanctifi-  
cationis: Hæc autem oblatio requirebat omnino, in ea Per-  
sona, aliquam Exinanitionem.

§. 15.

Subjectum ergo Exinanitionis hujus, est Θεόν Θραύστος,  
Christus Jesus, verus homo & verus Deus. Intelligitur au-  
tem Christus, non ἄνθρωπος & adhuc incarnandus, ut male  
Benza olim & Corn. à lapide statuerunt; sed ἔνθρωπος in car-  
ne manifestatus: Ad illum enim referri potest τὸ φρονεῖν,  
adfectum esse, ut ait Paulus ad Phil. 2. qui classicus est in  
hac ma-

hac materia locus, id autem hominis est certè. Hoc autem  
subjectum ut plenius evolvatur, distinctè hoc loco considerandum est subjectum quod, & subjectum quo. Illud quodnam sit, jam dictum est. Hoc autem est natura humana Christi, ut quæ sola capax erat humilioris & sublimioris conditionis. Proindeq; quando diximus Christum Θεόν θραυστὸν esse exinanitum, respectus tamen habetur ad Christum quā homo est. Et hanc subjecti hujus determinationem, satis insinuavit Paulus citato, ad Phil. loco, cum diceret, ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ἡνάπκτων, in forma Dei existens. Nimirum secundum divinam naturam, non est *in forma Dei*; sed est ipsa Dei forma, vel ut ad Heb. 1,3, dicitur Character Dei.

### §. 16.

Contra ea quæ de subjecto Exinanitionis quo, dicta jam sunt, nempè solam humanam Christi naturam eo nomine venire; nihil prorsus facit quod communiter & verè dicere solemus, divinam Θεόν θραυστὸν naturam, in summa ejus exinanitione quievisse; quasi illa quies λόγος, pro exinanitione possit haberri, Omnidè non ita est, aliud enim est hoc loco quiescere, & aliud est exinanitum esse. Fatemur si Deitas Personæ Christi, respectu regiminis universalis, plane quievisset, adeoq; majestatem suam non usurpasset uspiam, videri posse quietem illam tale quid insinuasse; sed eo modo nemo sanus dixerit Deitatem τοῦ λόγου in passione Christi quievisse. Intelligenda est ergo illa quies ejus, in carne tantum. Et hoc quidem non omni modo. Nimirum quoad præsentiam & συμμαχίαν, tantum abest ut quievisse divinitatem Christi dicamus, ut etiam tum, in nostram salutem maximè operosam fuisse, humili mente cognoscere debeamus. Fuit ergo quies illa solum quo ad non depulsionem injuriarum; ut ita, illud quiescere, sit idem quod semet à defensionis opere retrahere, quæ certè nulla est exinanitio.

§. 17.

Nec nostræ huic de subjecto Exinanitionis sententia quidquam obstat quod apud Joh. 17.5. à Patre petat Christus glorificationis, & quidem realis, non manifestationem solum, ut quæ respectu Patris locum nullum haberet, sed collationem; Eamq; petit ut ante secula eam habuerat, quod utiq; secundum divinam erat naturam. Hæc, inquam, non nobis obsunt; Nam præterquam quod prædicata, non semper in contextu naturam specificent; Etiam hoc certum est & infallibile, Christum non secundum aliam naturam rogasse glorificari, quam eam, quæ status melioris erat capax, cuiq; in tempore aliquid conferri potuit & addi; Ea autem non alia utiq; erat quam humana. Et omitti hoc loco non debet, quod citato dicto petat Christus glorificari eæ gloriâ, quam ante secula habuerat, non vero juxta eam naturam quæ ejusmodi gloriam ante secula habuerat, quæ vel sola observatio, facile probabit locum eum nobis non adversari.

§. 18.

Manet itaq; hoc, Exinanitionem esse intelligendam secundum humanam Christi naturam; Sed & id non uno modo fuit ab omnibus expositum: Inventi enim aliqui sunt, qui Christum secundum humanam quidem naturam exinanitum dixerint, at quoad se ipsum tantum; hoc est, quod infinitâ majestate & potentia non usus fuerit quo ad se, sibi ipsi eam accommodando. Usum tamen fuisse eâ majestate & potentia, etiam secundum humanam naturam, quo ad creaturas, quibus semper tanquam Dominus universalis suo regimine adfuit. Verum inepta est hæc Exinanitionis expeditio, & apertam contradictionem involvit. Qui enim dicit Christum, quo ad humanitatem exinanitum quidem esse, sed inde sinenter tamen dominium orbis universale retinuisse, is profectò sibi ipsi contradicit. Nimirum, Exinanitio formæ divinæ, non tantum notat non usurpationem divinarum propri-

proprietatum, quo ad ipsam Christi Jesu humanam natu-  
ram; sed etiam denotat Christum hominem non exercuisse  
communicatam sibi majestatem & potentiam, ratione gu-  
bernandarum creaturatum universi. Et hoc facile proba-  
tur hoc modo. Quia *forma Dei*, quæ in Christo homine e-  
xinanita fuit, non est tantum plenissima usuratio majesta-  
tis divinæ quo ad *intimam*, & quantum ad humanam Christi  
naturam; sed & quo ad *externam*, & respectu creaturarum  
Christo homini subditarum. Accedit, quod primus homo  
Adam, Dei formam & æqualitatem ambiendo, non hoc cer-  
tè desideravit tantum, ut quo ad se, & intrinsecus, usurpare  
divinâ potentiam posset; sed & extrinsecus quo ad creaturas  
hoc expetivit. Proinde etiam secundus Adam, qui pro illo  
Adamo, qui divinæ æqualitatis & formæ cupidine turpiter  
se dedit, erat satisfacturus, & quidem semet *exinaniendo*  
erat satisfacturus, ille non quo ad se, sed quo ad creaturas,  
illam formam Dei deponcret; sed pluribus hæc statim per-  
sequemur.

§. 19.

Ut autem plenius hanc Christi Exinanitionem evolva-  
mus, videndum primò quinam ad eam requirantur actus,  
& deinde in quo ea præcipue consistat, quæq; ejus sit for-  
malis ratiō. Requiruntur ergo ad hanc Exinanitionem  
duo actus. *Prior privatipus* est, continens inhibitionem seu  
retractionem, vel realem intermissionem ac defectum ple-  
narii & perpetui exercitii illius majestatis, quæ humanæ Chri-  
sti naturæ erat communicata: Atq; hic actus *κένωσις* est,  
eiq; opponitur *πλήρωσις* non verò *πλήρωμα*. Alter actus  
*positivus* est, voluntaria nempe assumptio servilis formæ: I-  
ta quidem, ut nobis, excepto peccato, per omnia esset si-  
milis. Proindeq; in sancto corpore suo, non tantum nul-  
los facilè clarificatorum corporum qualitates ostendit, de  
quibus i. Cor. 15. 42. sed voluit etiam, non attendendo

inhabitantem Divinitatis plenitudinem, Col. 2. 3. ad modum  
aliorum hominum, *in p̄p̄s̄t̄*. Cor. 13. 9. Proficere in sapi-  
entia, Luc. 2. imo in magna rerum inopia & paupertate  
vivere. Math. 8. 20. fatigari & lassitudine premi. Joh. 4. 6.  
Esurire item Math. 4. & sitiare Joh. 19. Deniq; varijs modis  
contumeliam adfici & ignominiam Heb. 12. 2. Et hic actus,  
*λῆψις* dicitur, ad quem speciales actus omnes, qui in Exi-  
nanitione Christi sigillatim explicari solent, spectant. In  
quibus cunctis, magnum licet agnoscamus *κένωσιν*, nihil ta-  
men impedit, quo minus in aliquo illorum actuum, gradum  
summum fuisse dicamus, & quidem in ejus quadam, & ad  
tempus desertione, Math. 15. 34. ut & *ἀγρίως* Luc. 22. 44.  
Quandoquidem & Exaltatio suos habuisse gradus deprehen-  
ditur, cum distinctè Resurrectionem & Ascensionem Christi  
quaè consecuta sunt, consideramus. Certè sessionis ad dex-  
tram Dei, nunquam nisi post Ascensionem demum in cœ-  
los, sit mentio.

§. 26.

Jam visuri in quonam potissimum hæc Salvatoris Exina-  
nitio consistat, negamus primò contra Ramburtium ejus-  
demq; sectæ socios reliquos, ut & Conradum Hornejum,  
eam in incarnatione aut naturæ humanæ assumptione consi-  
stere. Ejusq; assertionis quamvis multæ quidem adduci pos-  
tent rationes, nobis tamen hæc jam sufficient. Scilicet, Exi-  
nanitio de tota dicitur, ut supra ostendimus, Personā, cum  
tamen incarnatio non nisi de altera tantum dicatur natura.  
Deinde, sublata etiam aliquando est per statum sublimior-  
rem, hæc de qua jam agimus Exinanitio, quod de incarna-  
tione omnino non est dicendum. Nam etiam in statu exal-  
tationis est filius hominis, & veram naturam humanam re-  
tinet, licet non servilem, ut quidam scribit. Accedit quod  
Exinanitio præsupponat incarnationem tanquam aliquid an-  
tecedens & distinctum. Porro etiam non concedimus Exina-  
nitio-

nitionem in *Deitatis abdicatione*, quæ *Weigely* stolida aliquid fuit opinio, quasi aliquandiu caruisse Christus, nempe durante maximâ exinanitione, ipsa deitate sua. Sed non solus Weigelius cum fanaticis hunc errorem erravit, verum etiam Piscator in eadem fuisse videtur sententia, quando locum ad Phil. 2. vertit erat sich ausgelehret/ cum quo idem planè sensisse Bezan scimus, Exinanitionis formalem rationem, in divinitatis omnimoda evacuatione, & quasi effusione constituendo, quasi in Christo exinanito, nihil profus divini fuisset reliqui. Sed pessimè omnes, & contra ipsam non modò scripturam, & unionis Personalis rationem, verum ipsam quoq; experientiam. Certe scriptura nuspiciam Exinanitionem per ejusmodi ἐδείκνυτο ullo in loco descripsisse legitur. Fatemur quidem Marc. 9. 11. de Christo dici, quod fuerat ἐξαρτημένος; at non eo sensu quasi Χριστός ἀνθρώπος exiles, tenet. jam esset, omni divinitate carens; nequaquam, sed quia vilis & abjectus videbatur. Et quid, an non eo modo dicendum unionem personalem non factam fuisse inseparabiliter? quod pia tamen & Orthodoxa Antiquitas semper statuit. Deniq; quoties per tot & tot miracula re ipsa ostendit Salvator, in statu Exinanitionis, satis lucidos Divinitatis suæ radios? ut mirum sit profectò aliquem inventum, qui historiam Evangelistarum cum pervolvet, omnimodam tamen evacuationem Divinitatis in illo fuisse auctorat statuere; Duxi omnimodam evacuationem, à qua vehementer differt, quæ evacuatio usus fuit, de qua infra...

### §. 21.

Tandem etiam negamus in nuda occultatione & dissimulazione Majestatis constituendam esse Exinanitionem, quæ olim Scholasticorum quorundam & nuperius Wurtenbergensium Theologorum fuit sententia. Fatemur quidem in Form: Concordiæ quoq; hujusmodi verba in hac materia referiri, quæ eundem sensum videri possent insinuare, ut ipse

pag. 767. hæc habentur: Majestatem statim in concepcione sua, & in utero etiam matris, habuit Christus; sed ut Apostolus loquitur, scipsum exinanivit; atq; ut Lutherus docet, in statu humilationis in secreto habuit: Et pag. 779. ita scribitur, Hæc autem humane nature majestas, in statu humilationis, majori ex parte occultata & quasi dissimulata fuit. Verum longè aliâ intentione, alioq; sensu Form. Concord. occultationem hanc accipit, & alio Wurtenbergici; Nempe illa non negare vult his verbis Exinanitionis veritatē, sed tantum ostendere Exinanitionem non tollere communicatæ majestatis possessionem. Et hunc esse sensum Form. Concord. clarè patet ex verbis quæ proximè seqvuntur in priore citato loco. nempe secreto habere majestatem carni Christi communicatam, nihil esse aliud, quam Christum eandem non semper, sed quoties ipsi visum fuit, usurpasse. Hoc est, nec plenarie nec incessanter usus est, sed interdum radios ejus ostendit. Würtenbergici verò statuerunt, Christum universale Dominium plenariè, durante statu Exinanitionis exercuisse, adeoq; ita gubernasse, secundum humanam etiam natum, totum hoc universum, quamquam latenter. Patet hoc quod dicimus de illis, ex verbis Theod. Tummijs in Synopsi præcipuorum Articulorum fidei, ubi ita scribit. Κέρωσις exinanitio Phil. 2. non fuit retractio usus ad creaturas, in regimine universi foras prodcuntis &c. Sed retractio usus propriam tantum carnem resipientis & quidem non omnisi, sed illius tantum, qui opus redēmptionis impedire potuisset: Nam addit, opulentiam erga creaturas semper indiscretum λόγῳ exercuit, quando cum Patre operatus est, Σομνία fecit quæ ille. Joh. 5. Sed hoc modo vera Exinanitio certè tollitur, & doctrina scripturæ non consona introducitur. Nam illam retractionem usus majestatis, quo ad carnem Christi, non absolvere statum Exinanitionis, facile colligitur ex opposito statu Exaltationis, in quo non tantum cessavit

cessavit rectatio usus majestatis quo ad carnem Christi, sed  
cepit quoq; dominum universale plenum & continuum.  
Quod autem locum illum Joh. 5. adtinet, in eo probè erit  
distingvendum inter totū Christum & totum Christi. De toto  
quidem Christo, non verò de toto Christi illud est accipien-  
dum, quod dicit Salvator se cum Patre operari. Nimurum  
secundum divinam naturam hoc ei competebat, id conce-  
dimus, non autem secundum humanam. Neq; propterea per-  
sonæ unitas fuit soluta, quod metuebant Tubingenses. Nam  
non dicimus Christum caruisse majestate illa, licet eam non  
usurparit. Erat certè in forma Dei semper, neq; eam de-  
posuit in statu humiliationis. Licet divina natura *per hu-*  
*manam* non gubernaret hoc universum, diebus carnis, ta-  
men in eādem hoc operabatur, quippe quæ non *ἄστρον* sed  
*τροπόνος* fuit. Vanum ergo erat præsidium quod sibi in hac  
re quæsiverunt Tub. distinctione inter regiminis universalis  
modum manifestum & occultum; cum modus ille ex scri-  
ptura nullum habeat fundamentum; imò eā ratione Exi-  
nanitio addecuratè & sufficienter nunquam posset definiri;  
Ideoq; non sine causa à Saxonibus dictum, gravissimum esse  
eum Tubingensium errorem, ut ex quo varia absurdâ flu-  
erent. Nam cum ipse apud Math. 8. 20. conqueritur, tati-  
tam fuisse paupertatem suam, ut non haberet quò caput re-  
clinaret, cum tamen & volucres nidos & vulpes foveas ha-  
beant; quis quælo hæc falso dici & simulatè contenderet?  
Addatur locus Pauli 2. ad Corint. 8. 9. *Scitis gratiam Do-*  
*mini nostri Jesu Christi, quod cum dives esset (quo ad pos-*  
*sessionem bonorum) pauper tamen factus sit propter vos, ut*  
*eius paupertate vos ditesceretis.* Pariter cum aliquando vir  
dolorum, aliquando propter peccata nostra contritus dici-  
tur; num hæc omnia nihil ex vero habuisse dicenda sint,  
sed in omnibus inanem tantum fuisse simulationem? dñum  
certè os esset, quod affirmare sustineret. Nos ita statuimus,  
ea Exinanitio quæ quo ad omnem omnino intellectum,

creatū vel increatū, talis aestimatur, ea haud dubiè non  
simulata, sed verā omnino est Exinanitio; Christi autem E-  
xinanitionem ad eum semet modum habuisse, facile patet ex  
Luc. 2. 52. ubi sapientiā profecisse dicitur, non solum co-  
ram hominib⁹, sed & coram Deo. Idem firmatur quoq;  
ex Joh. 17. 5. quando glorificari voluit coram Patre; quæ  
glorificatio certè simulatione carebat. Hæc dicta Wurten-  
bergicis, alijsq; sententiæ illius propugnatoribus directè sunt  
opposita; Nam si ita se habuisset Exinanitio, quemadmo-  
dum illi eam exponunt, tum coram Deo & Angelis semper  
in maiestate, semper gloriōsus, etiam quo ad *χρήσιν* fuis-  
set, quicquid tandem in oculis hominum simulasset; quod  
ipsum aliud esset nihil, quam eam vanitatem sanctissimo  
Salvatori velle adfangere & imputare, à quā abesse cupit  
quicunq; inter homines erecti est & aperti animi. Depre-  
henderunt satis nominati Theologi, vocabulum *κενώσεως*,  
quo utitur scriptura, in exprimenda formalī Exinanitio-  
nis ratione, vehementer suæ sententiæ adversari, proinde  
ut illam difficultatem evitarent, novam vocabuli illius ex-  
positionem adinyenerunt; nempe non per evacuationem ut  
alij, sed humiliationem reddiderunt; quasi eadem prorsus  
sit ratio *κενώσεως* & *ταπεινώσεως*. Sed hoc quām sit in fra-  
udem scripturæ factum, adeoq; hujus, de quo nunc agimus  
Dogmatis, prolixè illis fuit à Saxonibus ostensum. Nimi-  
rum, præterquam quod hæc vocabula non sunt Synonyma,  
longè aliud infert humiliatio Christi, & aliud ejus Exina-  
nitio; cum illa in eo consistebat, quod Christus Patri cœ-  
lesti ad mortem usq; crucis, agendo & patiendo, obedien-  
tiam præstiterit. Exinanitio verò, formæ Divinæ retracti-  
onem innuit, ut infra plenius videbitur.

§. 22.

Fuerunt, non ignoramus, qui medium sententiam inter  
excussam hanc Tübingensem & Giessensem, seu commu-  
nem,

nem inveniri posse statuerunt. Ideoq; quidam in Miscellaneis suis, se firmiter perswasum esse scribit, medium & posse & debere etiam servari sententiam; Quandoquidem ut Tubingenses in excessu, ita Giessenses in defectu à vero recesserint. Hinc etiam factum fortassis est, ut in scriptis quo-rundam Theologorum, etiamnum queratur, an controyersia Tubingensium sit sufficienter adhuc decisa? Verum præter necessitatem profecto ita queritur. Nam licet non acquererint Tubingenses *Solidam decisionem* Theologorum Saxonum, quæ edita fuit Anno 1624. Nihilo min<sup>t</sup>amen, ne aliquis exceptioni relinquetur locus, idèo licet nihil validi adversus Decisionem illam fuisset allatum, addita tamen fuit à Saxonibus, anno sequente *Apologia Decisionis*, in qua ita explanatè tota lis ea traditur, ut prosta frustra jam esse videatur, de sufficiente controyersia illius decisione querere. Illos autem quod concernit, qui medium sententiam reperiri & posse & debere contendunt, credimus nos id factu perquam difficile illis futurum. Nam contradictoriæ sunt & medium non admittunt hæc sequentia; scilicet communicata majestate plenariè & incessanter uti, & eadem non ita uti. Quibus ergo perspicillis inter hæc medium aliquis reperiret?

§. 23.

Ut clarè agamus, ostendendum erit quodnam fuerit illud inventum, in quo adeò sibi placuerunt intempestivi illi Mediatores. Statuerunt ergo, inter Tubingensium plenarium regimen, licet occultatum, & Giessensium omnimodam, in statu Exinanitionis, adessentia apud creaturas negationem, medium esse *μεροῖς*, vel *adessentiam nudam seu non operantem*. Et hanc sententiam non medium tantum, sed summe etiam necessariam esse voluerunt, propter hanc rationem; quia humana Christi natura, in persona τὸς λόγου subsistit *αδιαστάως*, non videri itaq; quā ratione sine lassione uni-

onis Personalis, dici posset,  $\lambda\circ\gamma\circ\tau$  in statu exinanitionis, ceteraturis omnibus adfuisse, quin simul, vi nominatae iam unionis, humana Christi natura  $\alpha\delta\iota\alpha\sigma\alpha\iota\omega\varsigma$  unita, iisdem quoque adesset, licet non ibi operaretur. His ergo ut satissiat, dicimus primò; Eos fingere adessmentam talem, qualem scriptura & stilus Biblicus nuspia de Deo admittit: nimirum sacræ literæ nudam aliquam præsentiam, in sola substanciali adessmentia, seclusa omni actione, seu gubernatione & conservatione totius universi consistentem, nunquam Deo tribuunt. Proinde satis patet, Mediatores illos, scripturā inyitā fictum hujusmodi attributum, tanquam Divinum carni Christi adfingere. Deinde quam illi medium & mitiorem inter duas sententias adferunt, nec illa contradictionem evitabit. Nempe aliquo modo reuti, haud dubie non est eadem nullo modo utri; si quid nos videmus. Itaq; si Salvator in statu Exinanitionis, maiestate communicatā aliquā ratione est usus, nempe quo ad omnipræsentiam, ut illi volunt, quā ergo ratione, eadēm maiestate, quo ad usum, semet evacuavit? Certè plus satis perspicaces sunt & subtileś, qui inter hanc medium excogitare satagunt. Refutant quoq; illi eadēm operā Apostolum, diserte dicentem  $\epsilon\kappa\epsilon\nu\omega\sigma\tau\epsilon\alpha\theta\circ\tau$ ; cuius phrasis emphasis illi non adseqvuntur.

§. 24.

Quod autem attinet  $\alpha\delta\iota\alpha\sigma\alpha\iota\omega\varsigma$  carnis Christi cum  $\lambda\circ\gamma\circ\tau$ , quā munire semet Mediatores volunt; eam nos quidem non negam; sed id tamē urgem; non confundendā eam esse cum  $\alpha\delta\iota\alpha\sigma\alpha\iota\omega\varsigma$  alia, quae ad creaturas est, ut quae diversissimi est generis. Hoc dicimus, distinguendum est inter  $\alpha\delta\iota\alpha\sigma\alpha\iota\omega\varsigma$  quae intercedit in persona Christi, inter  $\lambda\circ\gamma\circ\tau$  & humanam ejus naturam, quae in hac materia præsentia intima appellari solet; Et inter  $\alpha\delta\iota\alpha\sigma\alpha\iota\omega\varsigma$  creatures & carnem Christi respicientem, quam Extinjam præsentiam dicere consuevimus.

mus. Prior illa Nestorianæ ~~μηχανής~~ rectè fuit opposita;  
eamq; nos sincerè tuemur: contendentes in Persona Christi  
ad ias̄cūtaw̄s fuisse unitas duas naturas, ita quidem, ut in Exi-  
nanitione etiam Profundissima, nulla ex cogitanda sit sepa-  
ratio aut non-præsentia. Posteriorē autem quod attinet  
præsentiam, eam carni Christi in statu Exinanitionis nega-  
mus; quo ad usum nemp̄, licet omnipræsentiam possedisse  
eam, ultrò largiamur.

§. 25.

In quo non consistat Exinanitio, haec tñus fuit ostensum:  
jam in quo ea sit collocanda, quidq; illud fuit, quo se Christus  
exinanivit, venit proponendum. Dicimus ergo, eam for-  
maliter & propriè constitisse in libera & spontaneā retrac-  
tione, intermissione seu suspensione, plenarii, perpetui &  
universalis communicatæ majestatis usus; quam justissimo  
titulo, humana natura & possedit, & de jure nisi remisisset  
suo, uti potuisset, Heb. 12. 2. *Respiciamus fideli Ducem & con-  
sumatorem Iesum;* qui preposto sibi gaudio, pertulit tamen  
crucem, ignominia contemta. Reputemus qualem ille susti-  
nuerit à peccatoribus contradictionem, ne defatigemur, animis  
defecti. Adde 2. Cor. 8. 9. *Nostis beneficentiam Domini no-  
stri Iesu Christi &c.* Diximus autem abdicationem hanc in  
qua Exinanitionem collocamus, exercitii fuisse, seu usus, non  
verò possessionis. Idq; propter unionis Personalis rationem,  
de qua antea dictum; Habuit ergo sese hæc usus abdicatio,  
ad eum ferè modum, quo ignis, de quo apud Danielem,  
3. cap. legimus, qui urendi potentiam licet retinuerit, actu  
tamen ipso, propter retractionem actualis unctionis, adurere  
non debuit. Et tamen, licet abdicationem hanc seu ἐλάτ-  
τωσι, non quo ad possessionem, & licet parvo tempore βεγχύ-  
τι, fuisse concedamus; maximam tamen eandem fuisse  
contendimus. Nam non exigua profectio illi erat depressio,  
esse sub lege, Gal. 4. Minorem esse angelis Heb. 2. 7. imò

hominibus qui cum imperio erant. Joh. 19. 10. Deniq; etiam  
in eam misericordiam coniici, ut Angelus de cœlo adesse deberet  
~~euangelium~~ & corroborans eum. Hæc utiq; fuit summa mi-  
sericordia, & forma maximè servilis, quam in visitatione mi-  
serorum, ad salutem eorundem & glorificationem, sustine-  
re, mitissimus salvator voluit. Et tantum tamq; horribilem  
tentationum dolorumq; cumulum passus est Christus, non  
utendo, uti diximus, communicata sibi majestate; Non qui-  
dem ita, quasi eo in statu, nulla prouersus parte, ne quidem  
ad radios quosdam emicantes, eadem uteretur, quæ Photi-  
nianorum est, quemadmodum vidimus supra, sententia;  
sed quod non nisi raro nec plenariè uteretur; Nempe in pa-  
tratu Miraculorum, Joh. 2. v. 11. *Manifestavit gloriam su-  
am*, sc. gloriam omnipotentia, idq; secundum utramq; natu-  
ram. *Contra Calvinianos.*

### §. 26.

Verum ex hac usus majestatis abdicatione, in qua consi-  
dere Exinanitionem statuimus, videtur in Christo aliquam  
operationum fuisse divisionem; ad hunc quidem modum,  
ut secundum divinam Naturam, in regimine universi, adeoq;  
Majestate operosa, semper persistet & pergeret; secundum  
humanam verò, actus majestaticos suspenderet. Et hoc si  
quidem fuit, annon sic etiam personalis in eo periclitabatur  
unio? juxta antiquam in hac materia regulam, *Divisio ope-  
rationum*, solvit unionem & dividit personam. Nihil minus  
certè, proindeq; observari petimus, quibus usi simus ter-  
minis in expositione formalis rationis Exinanitionis hujus;  
Nempe diximus, eam in retractione & intermissione, non ve-  
rò in divisione consistere. Probè itaq; hoc loco erit omni-  
nò distinguendum, inter *divisionem operationum*, omnem  
communicationem, tam in ipsa Personâ quam in actu ali-  
quo excludentem; Et inter *operationum retractionem* seu  
*suspensionem*, quo ad humanam Christi naturam. Illam,  
quæ

(quæ hue non pertinet) cum concilio Ephesino, & unionem solvere, & personam dividere; Hanc autem, optimè & cum communicatione atq; unione posse consistere, serio contendimus. Possent hæc facile simili aliquo, ab humanis casibus petito, illustrari; v. g. Animi deliquium si quando contingit aliquem pati, contingit autem non raro certè; non tamen dicendum est, solvi confessim in tali homine unionem naturalem, quæ inter animam intercedit illius hominis ejusq; corpus, licet nullas prorsus ibi corpus exerceat operationes, sed anima sola aliquas functiones suas expedit. Longè autem majore jure nos de Persona Salvatoris nostri statuimus, salvâ & unione & communicacione, fieri potuisse, & factam etiam esse retractionem & suspensionem operationum, quo ad humanam naturam.

§. 27.

Sed quid tandem illud fuit quo se Christus exinanivit? Rotundè respondet, citato sàpius loco, Paulus, fuisse formam Dei. Intelligitur autem ibi per μωρφὴν Θεοῦ, non ψεγῆς & immediate Divina essentia & Divina natura; Nam sicut forma servi, eodem in loco Pauli, non directè & primariò, sed consequenter tantum, humanam naturam & substantiam significat, ut quam post exaltationem non depositus Christus; ita etiam forma Dei, non nisi indirectè & consequenter naturam Divinam connotat. Nempe Majestatem Divinam aut habere, aut carni suæ communicare, Christus non potuisset, nisi Deus fuisset, quemadmodum nec formam servi, hoc est, statum servilem assumere potuisset, nisi verus fuisset homo: Non ignoramus, apud Philosophos non semel accipi μωρφὴν pro natura rei & essentia; sed id tamen non semper est: Nam non raro etiam in secularibus literis, statum notat & conditionem; eodem planè modo, quo nos jam eum terminum accipimus; Proprie ergo per formam Dei intelligit Apostolus, statū Divinum gloriōsum,

sum, seu divinam majestatem humanae Christi naturae com-  
municatam. Atq; in hac forma Dei extitisse Christum ait,  
ut innueret, eum secundum humanam etiam naturam in  
statu Exinanitionis, propter personalem unionem, semper  
quidem habuisse κανόνιν divinæ majestatis, sed usu ejusdem  
semet evanescasse, quotiescunq; illum pro nobis pati oportu-  
it. Luc. 24. v. 26. quod factum est per totam vitam usq; ad  
mortem Phil. 2. 8. exceptis nonnullis, ut dictum vicibus.  
Ita ut verè non usurparit gloriam suam, sed glorificationem  
perierit, Joh.. 17. 5. abdicarit divitias suas & factus sit inops  
2. Cor. 8. 9. omnipotentiā se exinanivit, & post multiplici-  
cem passionem, mortuus est Math. 27. Sapientiā suā quoq;  
non est usus, quia in ea crevit Luc. 2. Hæc illa Dei forma  
fuit, qua Christus se exinanivit, hoc est, plenus gloriæ  
divinæ, jugiter semet exertens, status, quem abdicavit. Atq;  
tantum de Exinanitione illa in universum, hac quidem vi-  
ce, dicta sunt; Nunc ad varios ejusdem speciales actus es-  
set pergendum, cum in singulis illis quam plurima consi-  
deratione dignissima, occurrant. Verum santicis præter  
Ipem impediti causis, hisce jam subsistentes, verbis Beati

Augustini concludimus: *Dignare o homo humilia  
esse propter Christum, quia Christus pro-  
pter te factus est humiliis.*

